

parallelo debentur, Diciturq; tunc numerus conuersus, siue reductus ad grad. æquatorum. Exemplum, uolo gradus 6. m. 10. differentiæ longitudinum reducere ad gradus æquatorum in eleuatione poli, siue parallelo 40. graduum, quare duco filum ad lineam A. B. & margaritam tali situ ad gradum siue parallelum 49. tunc duco margaritam cum filo extenso supra 6. grad. 10. minu. & cadit filum in segmento æquatorum ad gradum 4. ferè, quare dico quod 4. gradus æquatorum tantum ualent quantum 6 grad. & 10. minu. in 49. parallelo.

Duorum locorum latitudine tantummodo differentium, distantiam itinerariam per hoc metheoroscopium subtiliter inuenire,



Utrahe minorem latitudinem à maiori, & quod remanet erit differentia latitudinis duorum dictorum locorum. Talem differentiam in gradibus & minutis quære in latere gnomonis huius instrumenti ad leuam lineæ A. B. quæ relata ad numerum miliariorum in scala, ostendet ibidem numerum miliariorum uel Germanicorum, uel Italicorum inter duo loca proposita. Exemplo hoc ostendam. Norimberga habet gradus latitudinis 49. minu. 0. Drusomagus Rhetix uerò gradus 46. minut. 5. Hæ ciuitates æquantur in longitudine, sed differunt in latitudine, nam differentia earum latitudinis est graduum 2. minut. 55. Illis ergo gradibus 2. & minu. 55. adiacent miliaria germanica 44. ferè distantia itineraria earum. Italica uero siue Ptholemaica 176.

Duorum locorum longitudine solum differentium, intercaepedine itineris in miliaribus per hoc instrumentum sumere.



I duo loca proposita sita sunt sub æquatore, & differunt in gradibus longitudinis, erit omnimodo operatio sicut in præcedenti de differentiis tantummodo in latitudine, quia tunc minor longitudo subtrahetur à longitudine maiori, & cum differentia tali agatur ut supra.

Si autem differunt sola longitudine, extra æquatorem tamen site, id est, in uno parallelo: Primò subtrahe minorem longitudinem à maiori, & quod remanet uocatur differentia longitudinum. Hanc differentiam longitudinum reduc ad gradus æquatorum, sicuti capite 1. huius edoctus es. Postea quære eandem reductam differentiam in latere gnomonis ad sinistram lineæ A. B. quæ ut prius relata ad scalam miliariorum, ostendit tibi numerum miliariorum germanicorum. Exemplum sume. Toletum Hispaniæ habet gradus longitudinis 10. minuta 0. Neapolis Campaniæ habet gradus longitudinis 40. minuta 0. habent autem eandem latitudinē, id est, sunt sub uno parallelo, scilicet 41 gradibus, sed differunt in longitudine, quia differentia earum longitudinis est 30. graduū, quare hos 30. gradus reduco ad gradus æquatoris per caput 1. & inuenio gradus 22. minuta 40. quia intraui instrumentum duplici introitu, primo cum 15. gradibus in parello 41. & reperi gradus 11. minut. 20. quos iterum secundo introitu per 15. gradus reperi, & uenerunt gradus 22. minut. 40. Hos gradus & mi. quæro in latere gnomonis ad laeuam manum, apud lineam A. B. Sed quia eos simul uno introitu minime reperi, quare accipio primo miliaria pro numero dimidio, scilicet pro gradibus 11. & 20. minutis, & ueniunt. 170. quæ miliaria si duplauero, colligo. 340. miliaria germanica. Sic etiam colliges Italica.

Duorum